Quelle: http://manuscripta.at/?ID=459
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

erat. et equaliter erat. Et sapientia filii erat. et pa-
tris erat. et spiritus sancti erat. et substantialiter erat. et
equaliter erat. Et bonitas spiritus sancti erat. et patris
erat. et filii erat. et substantialiter erat. et equaliter erat.
Et tamen causa erat ut personaliter distinguerentur
quod substantia idem erat. Quare hec tria cum secundum sub-
stantiam dicantur. quasi propria in quibusdam locis per-
sonis attributa inveniuntur.

VIII. Neque his tribus secundum proprietatem fidei personam sig-
nificavit. que secundum substantiam erat. sed hec tria secundum
necessariam nominationem personis assignavit. ut
assererentur quod secundum communionem nature erant.
Nominandi erant in trinitate pater et filius. et supra sunt
vocabula ipsa ab usu humano. cui primum
data sunt. et quod secundum aliquid tamen simile erat.
in toto simile dicendum non erat. Et cavit
prudentia eloquii sacri. ne plena similitu-
dine crederentur inter disparia. si in divinitate pater
prior aut filius posterior diceretur. Sic enim se in
hominibus nata habent. ut pater esse non possit. qui non fuit
prior filio. neque filius qui patre posterior non fuit.
Ideo patri assignata est potentia. et sapientia
filio. non quod magis erat. sed quod minus esse credi
poterat. Dixerat enim scriptura sacra quia deus pater
est. et audivit hoc homo qui hominem patrem videt. deum
patrem non videt. et cogitare cepit secundum ho-
minem quem videt cui quod [prolixum?] et mul-
titudinem annorum preteritorum et senectutis
defectum. Et occurrit scriptura. et dixit patrem
potentem. ne crederes impotentem. aut minus po-
tentem. nec solum potentem. sed et omnipotentem. Hic ergo
quia solus hic est pater. solus hic esse dicebatur. sed quia minus
hic esse solus pater putabatur. Rursum cum dixerit scrip-
tura filium deum. ne putaret homo quod humana no-
vitate divina non novitatem minorationem quandam
sensus et intelligentie esse in filio quasi adhuc
infra perfectionem etatis estimaret. addidit sapi-
entem. non quia singulariter hic ipse erat. quod esse commune
omnibus erat. sed quia singulariter erat ipse. de quo magis an
hoc esset dubitari poterat. Vocatus est et spiritus deus. et
dictus est spiritum habere deus. et videbatur hic quasi nomen
inflationis et tumoris. et contremiscebat conscientia hu-
mana ad dominum per rigorem et crudelitatem. et sub-
secuta est scriptura. et temperavit dictum suum. spiritum be-
nignum nominans. ne crudelis putaretur qui mi-
tis erat. et distincta sunt personaliter. que substantialiter
communia erant. ut humana mens divine
[novitatem?] non secundum humana estimaret dicere
cum esset consuetudine humana quandam de deo di-
ci audiret. Deus ergo trinitas trina hac [intuitu?] omnia
opera sua [constituit?]. ut perfectum perfecta seque-
rentur. et emularentur auctorem suum cuncta
que fecerat. Quicquid enim in tempore apparuit. ante
tempora in eternitate dispositum fuit. Et ip-
sa dispositio eterna coeterna hunc causa rerum
omnium voluntate creatoris. quod factum est
ut fieret quicquid factum est. et ipsa facta non est.

IX. Quod sapientia dei cum una sit in se. secundum nos
Divina autem sapientia diversa nomina sortitur.
et scientia vocatur prescientia. et dispositio predestina-